

legatus ad certum aliquod negotium conficiendum legatur et dirigitur. Eodem modo Apostolus dicit se legatum esse ad promissionem vite, ut scilicet promittat vitam eternam credentibus Christo, illeque obedientibus. Præpositio ergo secundum determinat et exprimit officium, ad quod Apostolus missus est, valetque idem quod præpositio ad, vel quoad; respondet enim Hebræo חָזַק אֶת.

Unde nota secundo: Hunc titulum dignitatis suæ præmittit Apostolus, ut insinuet se, et ostendat præstantiam muneris Apostolici præ Mose et Prophetis. Moses enim legis suæ observatoribus promisit vitam, sed temporariam, scilicet felicitatem vite præsentis in abundantia vini, mellis, olei; Christus vero et Apostoli servantibus legem Christi promittunt vitam celestem, beatam et æternam.

Ver. 3. 3. GRATIAS AGO DEO, CUI SERVIO A PROGENITORIBUS IN CONSCIENTIA PURA, QUOD SINE INTERMISSIONE HABEAM TUI MEMORIAM IN ORATIONIBUS MEIS, NOCTE AC DIE. — Verbis præcedentibus cui officii et apostolicæ dignitatem commendavit, et commendando se insinuat in animum Timothei Apostolus: hic vero eximium erga eundem amorem ostendit, ut a Paulo quasi sui amatissimo parente mandata que deinceps ei præscribit, peramanter accipiat: doctor enim apud discipulos tam benevolentia quam auctoritate indiget. Hunc vero amorem ostendit dicens: Non tantum tui, o Timothee, recordor, sed etiam gratias ago Deo, quod tui memoriam assidue animo meo injiciat et objiciat, q. d. Tanti te facio, tantum te amo, ut propter te et tui memoriam in gratiarum actionem et Dei laudes erumpam, putemque me insigni a Deo beneficio affici, cum tui recordationem mihi suggerit, ideoque ei gratias ago.

Nota: Pro servio græce est λατρεία, q. d. Quem scilicet Deum colo latria, æque ut progenitores mei Abraham, Isaac, Jacob et ceteri deinceps, a quibus cum natura et existentia, veram religionem et pietatem quasi per manus accepi. Ita S. Ambrosius, Anselmus et alii.

Quoniam Nota secundo: Dicit se Deo a progenitoribus servare, quia licet aliquando judaizavit Christumque Deum ad breve tempus oppugnavit, tamen retinuit semper cultum et amorem unius veri Dei, ut illi possit dicere: Te solum, Domine, latria colo; idque « in pura conscientia, » quia conscientia mihi testis est, non me alium quam te pro Deo meo habere, amare et zelari; adeoque cum Christum oppugnavi, conscientia mihi testis est, me hoc non odio Christi aut Dei, sed potius Dei et legis Dei zelo fuisse: nesciebam enim illum esse Messiam a Deo missum, et putabam in conscientia me pro patria lege a Deo Mosei data stare et pugnare debere; putabam hæc Christi persecutione maxime me Deum colere, illique me rem gratissimam præstare. Unde mox ut a Deo illuminatus errare me vidi, illico errorem correxii, totum me Christo dedi, tantumque Christum Christianique legem propugnavi, quantum antea impug-

Amor Pauli erga Timotheum.

Quoniam Paulus a progenitoribus servavit Deum, cum fœderis esset servus?

naveram. Ita Theodoretus. Adde, non dicit Apostolus: Servivi semper; sed tantum: « Servio, » quia scilicet in presenti servio, et ab infantia servivi, licet ad modicum tempus, per errorem, hæc servitus fuerit interrupta.

Secundo, Theophylactus per « puram conscientiam » accipit puram a sceleribus vitam, q. d. Licet judaizarem, purus tamen eram a crapula, libidine aliisque vitis quibus homines vulgo maculant suam conscientiam.

Tertio, Chrysostomus « conscientiam puram » opponit simulationi et hypocriæ, camque vult dici puram, id est veracem et simplicem; ut sensus sit hic: Ego Paulus semper, etiam dum judaizarem, a simulatione et mendacio fui alienus, sed candida et simplici mente Deo servivi; sicut interius in mente sentiebam, ita exterius loquebar, agebam et proficiebam inter et cultum unius Dei veri, q. d. Paulus: Ne suspicieris, o Timothee, me aliud scribere, aliud cogitare; pura et simplex est mihi conscientia, ut semper fuit. Sed primus sensus genuinus videtur et ex mente Apostoli. De pura conscientia vere ait S. Ambrosius, lib. II De Officiis, cap. 1: « Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientie et securitas innocentie; » et Cicero, lib. II Tuscul., « Nullum, inquit, theatrum virtute et conscientia majus est. » Vide S. Bernardum, lib. De Interiori domo, cap. XXII.

4. DESIDERANS TE VIDERE, MEMOR LACRYMARUM TUARUM, UT GAUDIO IMPLEAR. — Pergit ostendere ardorem amoris in Timotheum, q. d. Ego licet in vinculis constitutus sim, brevique occidentis, ante mortem tamen cupio frui aspectu mei Timothei, idque quia memor sum lacrymarum tuarum, quas scilicet fundebas in proximo a me discessu, flebasque quasi infans avulsus ab uberibus et lacte matris, inquit Chrysostomus, hecque fletus tuus mihi tristitiam attulit, qua relevabor et gaudio implebor, si te videam teque fuar. « Amatibus enim, inquit Aristoteles, lib. IX Ethic., XII, amabilissimum est ipse aspectus, eo quod hinc maxime existit et oritur amor. »

5. RECORDATIONEM ACCIPIENS EJUS FIDEI, QUE EST IN TE NON FICTA. — Hic secundam dat causam cur tanto teneatur videndi Timothei desiderio, scilicet quod recordatur ejus fidei sinceræ, qua in sui amorem et desiderium Paulum rapiebat Timotheus.

QUE (fides) ET HABITAVIT PRIMUM IN AVIA TUA LOIDE, ET MATRE TUA ENICE, CERTUS SUM AUTEM QUOD ET IN TE. — « Habitavit, » id est firmiter et permanentiter inhesit; hæc enim significatione et proppropia Hebræi dicunt virtutes et vitia quasi personas quasdam habitare in anima nostra, cum in ea quasi in firma sede et loco suo resident.

Nota: Mater Timothei Judæa fuit, verum quia in Græcia habitabat, Græcum et nomen indidit fuit. Eunice enim, græce Victoriā, ut potius Vincentem, proprieque Vincentiam sonat; ut Lois (que fuit avia Timothei) significat Meliorem: τοιαύτα

Puritas conscientie quasi bona.

Ver.

Parentis Timothei Eunice, id est vincetia.

etiam Græcis idem est quod melior. Hugo pro Eunice videtur legisse Eutycha; interpretatur enim Forta, natam, nam Græcis fortuna dicitur ευχη, et fortunatus ευχης.

Nota secundo: Pro certus sum græce est εἰστικός, id est mihi persuadeo; non enim Paulus fide divina, sed tantum humana, que pelitur ex signis et conjecturis; credebat sibi que probabiliter persuadebat, Timotheum habere fidem non fictam. Vide dicta Rom. viii, 38.

Nota tertio: Laudat hic Timotheum Apostolus a parentibus fidelibus, per quos fides illi erat quasi hæreditaria; simul tacite hoc domesticorum parentum exemplo Timotheum stimulat, ut eorum fidem et virtutem imitaret: magnum enim est Dei beneficium, pios nascisci parentes, ac præsertim matrem, a qua pene tota filiorum educatio pendet. Ita Nazianzenus, orat. 24, init. tom II, laudat Cesarium fratrem defunctum a matre, que a parentibus pietati et Deo addicta, maritum (ante Gentilem) et proles omnes sua pietate imbut, adeo ut tam maritum, quam filium ad episcopatum eveli conspexerit, omnesque proles, scilicet Gorgoniam, Cesarium et Gregorium Nazianzenum sanctos effecerit.

6. PROPTER QUEM CAUSAM ADMONO TE, UT RESUSCITES GRATIAM DEI, QUE EST IN TE PER IMPOSITIONEM MANUUM MEARUM. — q. d. Quia fides tibi quasi est hereditaria, ut de ea non dubitem, unum tibi faciendum superest, ne scilicet fidem hanc, quasi longo usu et consuetudine senescentem, aut metu persecutionis (ut colligitur ex vers. 8) flaccescentem dormitare aut torpescere sinas, sed eam æque ut gratiam tibi in ordinatione datam excuscites.

Nota: Pro resuscites græce est ἀναστήσεις, quod proprie significat ignem cineribus conditum ac sopitum flatu, folle aut flabello suscitare, ut recedat. S. Ambrosius verit, recora, id est, inquit, confove, q. d. Zelus, charitas et gratia, quam in ordinatione mea accepi, o Timothee, sensim tempore languescit, atque partim persecutionum, partim desidie, partim timoris, partim humanæ infirmitatis et mutabilitatis cinere ac frigore quasi infirmitatis et restingitur: vide ergo, ut eam suscites, ut charitatis flammam resuscendas ejusque ardorem continuo foveas et adaugas; ad hanc rem folles et flabella tibi sint oratio, meditatio, pia lectio, alacritas et vigilantia animi, studium, exercitatio et conatus major ad virtutes, ac præsertim labor et zelus ad salutem populi tibi commissi diligentibus et ferventibus procurandam. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus. Hinc enim folibus excitabitur animus, animique contracta et sopita libertas, qua cum suis a moribus, terribilibus excitationibus vincetur hic mundus; ait S. Anselmus, qui gratiam et charitatem «primere et suffocare nititur; victaque cupiditate et metu, rursus charitas flagrare incipit, indiesque magis flagrabit. Unde auctor Quæst. novi et veteris Testam. apud Augustinum,

Quantum prebit prolium parentum vie

Veritas agitans et torpescit foga.

Quæst. CXX, sacra lectione gratiam nanc excitandam esse ita docet: « Excitatur, inquit, devotio nostra, quando ea que licet non igni raurur, recondentur tamen. Tale est ingenium nature nostre, ut torpescat, si usus destiterit le. Æonia; quia sicut ferrum nisi usus fuerit, æruigine contract: ita et anima nisi frequentius divinis exerceatur lectionibus; quamobrem David ait illum beatum esse, qui die ac nocte lege Domini meditatur: excitatur enim desiderium anime erga opera salutaria jejuniis, oratione et misericordia (adde, usum et exercitiis). Unde Apostolus ad Timotheum inter cætera ait: Ut resuscites, inquit, gratiam dei que est in te. »

Adverte hic obiter, gratiam non prædeterminare liberum arbitrium: imo potius liberum arbitrium gratiam imbuendo ipsam gratiam sopitam, adeoque seipsam suscitare et excitare ad opera bona, atque ad eorum fervorem et incrementum.

Nota secundo: Ex eo quod dicit Apostolus « gratiam que est in te per impositionem manuum mearum, » clare evincitur, impositionem manuum, id est Ordinem, vel potius ordinationem, esse Sacramentum; per hanc enim Deus quasi per instrumentum, confert gratiam, ut ait hic Apostolus. Sicut ergo eo quod per baptismum, quasi per instrumentum, abluatur anima et gratia infunditur, recte colligunt omnes baptismum esse Sacramentum; ita pariter inde eadem ratione colligimus hic de ordinatione. Ordinato enim sua habet signa et symbola, puta materiam, impositionem manuum, formam vero verba sacra, quibus Episcopus ordinando, potestatem Ordinis confert: quorum effectus est gratia: atqui Sacramentum non est aliud quam signum sensibile constans sensibili materia et forma, quod gratiam confert: necesse est ergo ut ordinatio sit Sacramentum æque ac baptismus et Eucharistia.

Dices: Pro gratia græce est χάρις, quod significat gratias et dona gratis data, quale est donum et munus docendi et regendi, puta episcopatus ipse, doctoratus et similia: hæc enim vocantur charismata; ergo non loquitur Paulus de gratia gratum faciente, quæ est effectus Sacramenti. Respondeo: Græcum χάρις significat quodlibet donum, sive gratie gratis date, sive gratum facientis; hic vero significare charitatem et gratiam gratum facientem, patet ex ratione et explanatione quam subjicit Apostolus: hæc enim gratiam explicans ipse subdit statim: « Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis et sobrietatis; » ergo gratia data Timotheo in ordinatione, quæ ab eo suscitari vult Apostolus, est spiritus Emotio. virtutis, dilectionis et sobrietatis. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius et alii. Sic donum emulgentis cuique datum a Deo vocat Apostolus χάρις, I Cor. vii, 7; sic Christi gratiam oppositam

Gratia non prædeterminat.

Ordo verum potius legis Sacramentum.

Ejus forma et materia.

Dilectio et solvitur oblectio contra Sacramentum Ordinatio.

Charisma quam gratiam significat apud Apostolum.

peccato Ade vocat χείρα, Rom. v. 19; sic vitam æternam vocat χείρα, id est gratiam, quia effectus est gratie gratum faciens, Rom. vi. 23; sic Rom. 1. 44: « Ut aliquid imperiar vobis gratie spiritualis, » græce est χείρα. Ecce hisce locis χείρα gratiam non gratis datam, sed gratum facientem significat.

7. NON ENIM DEDIT NOBIS DEUS SPIRITUM TIMORIS: SED VIRTUTIS, ET DILECTIONIS, ET SOBRIETATIS. — Dat causam cur Timotheus et quisvis similis gratiam, quam accepit, excitare debeat, quæque eum ad hoc faciendum excitent, q. d. A Deo accepimus spiritum non timiditatis, ut in persecutionibus et tentationibus paveamus et animo contrahamur: sed e contrario accepimus spiritum magnanimitatis, ut poterit omnia adversa superemus, liberique Christi fidem predicemus et propugnemus; ac proinde hunc spiritum magnanimitatis, cum aliquis timor ut torpor obrepit, excitare debemus et animose ac fortiter duci et ardua quevis aggredi. Hæc enim est vocatio et professio nostra, ad hoc a Deo destinati sumus, ad hoc animos et vires gratia copiosas accepimus: eas tantum excitanda et agenda sunt.

Unde nota: Pro spiritu timoris græce est δειλα, id est timiditatis et ignavia, qualis est coram qui animo sunt imbecilli, pavido, contracto et abjecto. « Sed virtutis, » græce δυνάμεις, id est fortitudinis et roboris; ut fortiter fidem non tantum teneamus, sed et predicemus in persecutione inter medios hostes: nec timeamus, sed ambiamus pro ea mori, adeoque cum simus Episcopi, quasi duces populo præeamus ad martyrium; hæc enim virtus fortitudinis uti maxime requiritur in duce belli, ita conformiter datur Episcopo vi sacramenti Ordinis, quo consecratur dux belli fidelium. Sicut ergo in baptismo sumus servi Christi, daturque nobis per baptismum gratia, qua christiane et innocente vivamus et serviamus Christo; et sicut in sacramento confirmationis sumus et quasi auctoramur milites Christi, signoque crucis consignamur et militiae Christi ascribimur; ac conformiter vi confirmationis datur nobis gratia ad fortiter depugnandum pro fide Christi, ut maliis mori, quam eam perdere aut prode: ita in sacramento Ordinationis constituimur duces militiae Christiane, ac consequenter vi hujus Sacramenti datur nobis virtutes necessarie ad hunc ducatum; atque in primis invictum animi robur et fortitudo, quo timores et terribilitate omnia tam hominum quam demonum non tantum superemus, sed etiam a fidelibus aliis depellamus, adeoque fideles ipsos ad cruces et martyrium incitemus. Ita fecisse Cornelium Pontificem Romanum docet Cyprianus, epist. 37 ad Cornelium: « Exultante » inquit, accepimus ducem te illic confessionis attribus exiitisse, sed et confessionem ducis de fratrum confessione crevisse; ut, dum præcedis ad gloriam, multos feceris glorie comites, et confessorum populum suseris fieri.

Quando accitanda magnanimitas?

Episcopus dux belli fidelium, et qua ejus partes.

dum primus paratus es pro omnibus confiteri ut non inveniamus quid prius in vobis predicare debeamus, utrumne tuam promptam et stabilem fidem, an inseparabilem fratrum charitatem; virtus illic Episcopi publice comprobatur. At adunatio sequentis fraternitatis ostensa est, dum apud vos unus animus et una vox est, Ecclesia omnium Romana confessa est.

Hæc est ergo prima dos Episcopi, eaque maxime necessaria, scilicet impavida libertas et fortitudo, qua excelluerunt prastantissimi et celeberrimi Episcopi. Ita magnus ille Hosius, Cordubensis Antistes, Constantinum Imperatorem sic affatus est: « Desine, quæso, Imperator, nec te misceas tribus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disco: tibi Deus Imperium commisit, nobis que sunt Ecclesie concredidit. » Refert hoc S. Athanasius, epist. ad solitarium vitam agentes. Ita S. Ambrosius Theodosium corripuit, Justine Imperatrici restitit, Valentinianum sic alloquitur est: « Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quo divina sunt imperiale jus habere; noli te extollere, si vis diutius imperare; ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesie. » Refert hoc ipse Ambrosius, epist. 33 ad Marcellinam sororem. Minabatur Arianus mortem Ambrosio; cui ille: « Deus permittit te facere quod minaris: ego patiar quod sacerdotis est, tu facias quod spudis est. » Ita S. Hilarius, lib. Contra Constantinum Imp.: « Proclamo, inquit, tibi, Constanti, quod Neroni locutus fuissim, quod ex me Decius et Maximianus audivit: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sevis, sanctos persequeris, religionem tollis, tyrannum jam non humanorum, sed divinorum; Christianum te mantiris, Christi novus hostis es, Antichristum prævenis. » Et infra: « Tu, Constanti, omnium crudelitatium crudelissime et mortalium scelestissime magis in nos quam Pagani desecis. » Ita S. Athanasius, epist. Jam citata: « Quis, ait, ausi Constantinum Christianum appellare, ac non potius Antichristi imaginem? quid enim ex notis Antichristi hinc desit? aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristus, et vicissim Antichristus Constantius habeatur? » Mox eum vocat apostatam, fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, belluam, malorum omnium voraginem, eumque cum Achabo, Antiocho et Herode comparat.

Hosce omnes superavit Lucifer Calaritanus, quem S. Athanasius Eliam sui ævi vocat, qui in lib. De Moriendo pro Filio Dei, ita Constantinum Imperatorem compellat: « Mactasti plurimos, lamias, dispersisti; sed hi omnes martyres sunt. Crede mihi, quod a te statuerimus interfici: quis et melius esse videmus, in omnia Æva Deum habere amatorem quam teum, Juda Scarioth, Judæorum imitator puniri. Hinc est, Constanti, quod frondores oculi per te illatos non timentes: subire parati sumus omnes exitum. » Et in-

Prima virtus Episcopi, libertas, charitas, doct et liberalis hosti.

S. Ambrosius.

S. Hilarius.

S. Athanasius.

Lausford Calaritanus.

fra: « Indigne fers, Arij vermis, quod defendamus Filium Dei: si tandem oculos serpentis moribus confoscos aperias, invenies quod hanc fidem habet Ecclesia; invenies, stolidissime Imperator, ubique Christianos sicut nos credere, ac pro Dei Filio, ut nos. non cupere; ac tua novella predicatio et recæ religio blasphemica est. » Titulos vero et epitheta que Constantio tribuit, acerbiora sunt illis que ex Athanasio retulimus.

Secunda virtus Episcopo necessaria, quæque ei copiose datur in ordinatione, est dilectio, » ut ait hic Apostolus. Charitate enim in Deum et proximum, ac præsertim in subditos suos, flagitare ac excellere debet, ut eorum salutem impense curet, pro eaque se totum labores omnes, et vitam ipsam impendat. Unde Christus volens constitutere Petrum pastorem et Episcopum fidei Ecclesie, de hac dilectione tertio cum interrogat et examinat, dicens: « Simon Joannis, diligis me plus his? » Cumque respondisset Petrus: « Etiam, Domine, tu scis quia amo te; » subjecit Christus: « Pasce agnos meos. »

Tertia virtus Episcopo necessaria, quæque communiter ei datur in ordinatione, est sobrietas, græce σωφροσύνη. Quod primo, verti potest sobrietas, sive cibi et potus temperantia, ut sit idem quod σωφροσύνη; secundo verti potest, pudicitia; tertio et optime, σωφροσύνη est moderatio et refrænatio, sive, ut Theodoretus et Theophylactus, castigatio; et, ut Syrus, admonitio, quæ scilicet timores æque ac cupiditates et animi perturbationes, vitiaque omnia non tantum in nobis, sed et in aliis castigamus, refrænamus et moderamur. Insignis enim Episcopi virtus est æquanimitas animique moderatio, ne libertas moderata et libera vitorum castigatio. Et sic accipi potest hic « sobrietas, » uti vertit noster Interpret, ut sit debita non tantum in cibo, sed omnibus in rebus temperantia et moderatio, ut omnia tam adversa quam prospera constanter et moderate feramus, utque omnia que tam in nobis quam in aliis nimia sunt et immodeca, moderemur. Unde S. Augustinus, De Gratia et lib. Arbitr., cap. xvii, pro sobrietas, legit continentia, que virtus est generalis, cohibens et continens mentem in officio, ne timore, amore, odio, torpore, luxu, somno, aliove affectu immoderato et vitioso imbutur, dissolvatur, aut enervetur; sed tota sana sit, integra et perfecta. Hinc cum nonnullis σωφροσύνη hic verti posset, servatis animi. Sic enim hæc vocem accipit Paulus II Corinth. v. 13, cum ait: « εὐφροσύνη, ἠδὲ, ἡμεῖς σωφροσύνην, ὁπίω, id est sine mente excedimus, Deo; »

Secunda virtus Episcopi, dilectio, charitas.

Tertia virtus Episcopi, sobrietas, græce σωφροσύνη.

Centesima.

Sobrietas sobrii sumus, sobis; sic et Plato, lib. I De Republica, ubi dicitur: « εὐφροσύνη, ἡμεῖς σωφροσύνην, ὁπίω, id est sine mente excedimus, Deo; »

vitorum refrænatione et passionum omnium moderatione.

8. NOLI ITAQUE ERUBESCERE TESTIMONIUM DOMINI NOSTRI, NEQUE ME VINCITUM EIUS. — Jubet hic Timotheo explicare spiritum non timoris, sed fortitudinis, quem accepit in ordinatione, q. d. Ne timeas, o Timothee, non erubescas, se intripide ac fortiter predicata fidem et doctrinam Christi, cui Christus tot verbis, rationibus et miraculis, imo sanguine et morte sua testimonium perhibuit: non pudeat te quoque meum, qui jam vincitum sum, per fidem Christi, profiteri discipulum. Gloria enim nostra est crux Christi, vincula Christi, mors Christi: predicamus enim Christum crucifixum: et absit a Christiano, multo magis ab Episcopo, gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

Nota: Pro testimonium græce est μαρτυρία, quod partim testimonium, sive confessionem, quam (uti dixit) Christus fecit coram Pontio Pilato omnibusque Judæis, partim martyrium significat. Christus enim pro sua confessione et doctrina martyr occubuit, illique per martyrium testimonium perhibuit, q. d. Noli erubescere doctrinam, quam docuit et testatus est Christus; noli etiam erubescere crucem, martyrium ac vincula Christi, quibus suam doctrinam obsignavit et confirmavit.

SEU COLLABORA EVANGELIO SECUNDUM VIRTUTEM DEI. — Pro collabora græce est συνεργάριον, id est cooperare et coadjuvare Evangelio, q. d., ait Theophylactus: Evangelium et Evangelii predicatio patitur persecutionem et affligitur, atque in me vincito quasi vincito et vinculis constricta tenetur et premitur; tu cum Evangelio, imo pro Evangelio patere et fortiter sustine omnia Gentilium et Judæorum tam tormenta quam terribilitate, ut necum vincito vincito non renatus, sed ambias; idque non per te aut tuas naturæ vires, sed a secundum virtutem (δυνάμειν), id est potentiam Dei: » nimirum Deus, qui in hoc certamen te vocat, ut pro sua fide et gloria decertes et vincas, ipse tibi aderit, vires potenter suggeret, itaque corroborabit, ut generose, imo juconde et læte omnia adversa quantumvis gravia pro Evangelio patiaris: tibi ergo invoca que vires diffidens projice te in Deum, ora, in te eum, ipse suscipiet te, et supra naturæ vires, omnibus hostibus, tribulationibus et tormentis te fortorem efficiet.

9. QUI (DEUS) NOS LIBERAVIT, ET VOCAVIT VOCATIONE SUA SANCTA, NON SECUNDUM OPERA, SED SECUNDUM PROPOSITUM ET GRATIAM. — Pro liberavit græce est ῥυθαινα, id est qui nos salvavit, aut servavit, ut legit Ambrosius, scilicet a peccato et morte æterna. Secunda, Deus a vocavit nos vocatione sancta, » dum nos ab infidelitate et peccatis vocavit ad suam fidem et sanctitatem, vltamque sanctam et divinam.

Tertia, hæc vocatio non est « secundum opera, » id est merita, ut legit Ambrosius, q. d. Non est ex merito operum nostrorum, ut voluit Pelagius;

Episcopi gloria est crux Christi.

Martyrium quid significat?

Cooperatione in Deo.

Propositi- sed ex proposito et gratia Dei; unde patet «pro-
positum, » quod toties inculcat Apostolus, op-
ponitur operum, et tantum significare liberale
et gratia Dei decretum, sive beneplacitum,
ut dixi Nom. III, 28.

Deo hæc epitheta liberantis et vocantis addit
Apostolus, ut spem acuat, probetque virtutem
Dei affere Timotheo, omnibusque qui cum Evan-
gelio et pro Evangelio patiuntur, q. d. Cogita, o
Timothee, quali virtute ac potentia Deus a dæ-
monis, peccati et inferni potestate te liberarit,
dum te vocavit ad fidem et sanctitatem; cogita
quam poterit cor tuum immutari, ut Spiritus
divini vi mores et affectus tuos omnes inverteret;
ita ut ex impuro purus, ex peccatore sanctus, ex
rationali spiritualis, ex animali angelicus, ex ter-
reno celestis fieres; cogita Deum id præstis-
se, non ob merita, nec amico, sed inimico, ob me-
ram suam gratiam et benevolentiam erga te. Con-
clude ergo Deum, olim in te tam liberalem et
benevolum, multo magis tibi jam iustificato, jam
amico, jam merenti et pro Evangelio operanti,
certantem ac patientem affere et cooperaturum, ut
dura et tristia non tantum ferre, sed et vincere ac
triumphare possis. Ita Chrysostomus.

QUE (gratia) DATA EST NOBIS IN CHRISTO JESU
ANTE TEMPORA SECULARIA. — Nota: hæc gratia nobis
actu data non fuit ab æterno, utpote qui non-
dum eramus in rerum natura, ut capaces gratiæ
esse possemus: cum ergo dicitur hic gratia ab
æterno data, intellige in Dei decreto et prædesti-
natione, ut idem sit «data», quod dari decreta
et prædestinata, juxta Can. 36. Unde Tit. cap. 1,
vers. 2, non datam, sed promissam a Deo dicit
Apostolus hanc gratiam et gloriam «ante tempora
secularia;» hic vero non promissam, sed datam
dicit, tum ut significet omnia ab æterno esse et
fuisse Deo præsentia, Deique æternitatem et pro-
videntiam oculum ad omnia tempora se porrigere
eque complecti, sicut circulus ambit et complectitur
omnia que circulo circumscribuntur; tum
ut significet gratiæ hujus donationem æternam
esse, quantum est ex parte Dei. Deus enim ab
æterno nos adamavit, et hanc gratiam firmiter et
irrevocabiliter nobis dare decrevit: ita ut hæc
gratiæ donatio, quantum ex parte Dei, ab æterno
non tantum inchoata, sed et perfecta fuerit; do-
natio enim non est aliud quam donandi decre-
tum, sive donandi efficax et absoluta voluntas.
In Deo autem ab æterno fuit absoluta et irrevoca-
bilis hæc gratiæ donandi voluntas, cui ex parte
Dei nihil defuit, licet ex parte creature defuerit
creatura existentia, qua donationem hanc a Deo
factam, nisi exciperet et completeretur. Cum
enim creatura existit et hanc gratiam actu con-
sequitur, tunc ex parte Dei nulla nova accedit
donatio, sed illa que æterna fuit, posito subjecto,
se effundit, summique effectum sortitur. Sic pa-
rentes sepe testamento multa legant et donant
nepotibus necdum natis, sed postea nascituris.

Reccen-
tis in
justifica-
tione mag-
is
quo
equalis?

Quomodo
data sit
nobis
gratia ab
æterno?

Æterni-
tas an sit
omni
tempora
instar
circuli?

Donatio
gratiæ ab
æterno in
Deo est
absoluta

Ita Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Primasius.

Nota: Hæc gratia data est nobis «in Christo Jesu, » id est, ut aliqui, a Christo, vel cum Christo, sive consentiente et Patri cooperante Christo. Unde Theodoretus putat hic significari æternam et divinitatem Filii consubstantiale Patri. Verum planius ex more et phrasi Apostoli, «in Christo, » id est per Christum, puta per Christi merita prævisa ab æterno, data est nobis a Patre hæc gratia.

ANTE TEMPORA SECULARIA. — S. Augustinus, lib. XII De Civit., cap. xv, legit ante tempora æterna: et ita vertunt hic Erasmus et Vatablus. Verum, quia nihil fuit ante tempora æterna, sive ante æternitatem, hinc melius Noster, Syrus et alii vertunt, ante tempora secularia. Græcum enim αἰώνιον, non tantum æterna, sed et secularia significat, ut notat S. Augustinus lib. XVI De Civit., cap. xxvi, αἰών enim Græcis significat non tantum æternitatem, sed etiam ævum, sæculum, ætatem.

Quæres, quæ vocentur «tempora secularia?» D. Thomas sæculum dicit esse tempus mille annorum, eo quod mille anni quasi sint ætas hominis, quod tandiu duret hominis memoria, quæ quasi vita est hominis. Verum hoc sepe non est verum; non est etiam ad mentem Apostoli, qui «tempora secularia» vocat ea, quæ simul cum sæculo et mundo finire et volvi ceperunt. Idem ergo est «ante tempora secularia, » quod ante mundi constitutionem, ante temporis et mundi originem, puta ab æterno. Ita Theophylactus, Anselmus et alii. Notat Chrysostomus, hic significari immensitatem amoris Dei, utpote qui nos ante mundum, ante omnia tempora ab æterno in mente habuerit, de quoque nostrum in particulari studiose et sollicitè cogitavit, unumquodque adamaverit, cuique per Christum suam gratiam mensuram decreverit et prædestinavit.

40. MANIFESTATA EST AUTEM (gratia illa a Deo ab æterno data, sed in Deo abscondita) NUNC PER ILLUMINATIONEM SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI. — Pro illuminationem Græce est ἐπιφάνεια, quod tam apparitionem, ut vertit Erasmus, quam illustrationem vel illuminationem significat. Apparitio ergo vel adventus Christi in mundum vocatur hic ἐπιφάνεια, sive illuminatio, quia illustris fuit; et hoc Christus apparuit et advanit, ut omnes illustraret et illuminaret luce sapientiæ divini, qua Deum, salutem viamque salutis homines agnoscerent et capesserent. Inde festum Epiphaniæ vocatur et celebratur in Ecclesia, quo Christus tribus magis et per eos Gentibus totique mundo illustris innotuit et apparuit (1). Hinc Christus, Joan. vii, 12:

(1) Vox epiphania jam a Paganis usurpabatur ad designandum 6 Januarii diem, in quo sol, solstitio hyemali inversus et quasi amissus, rursus apparuit, Christiani Orientales demum epiphaniam nuncupaverunt diem Christi natalis, quo scilicet in mundo Christus apparuit; Occidentales vero hoc nomine designant diem quo Christus magis et per eos Gentibus primum innotuit. Mox deni-

Gratia
quomodo
data ap-
bis in
Christum

Amoris
divini
ex his
inmensa-
tatis.

Vers. 40.

Appari-
tio, ἐπι-
φάνεια,
illuminatio,
illuminatio
Christi.

«Ego, ait, sum lux mundi;» et Joannes cap. 1, dicit Christum venisse ad hoc, ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, quantum scilicet ex parte sua: nam multi sunt qui lucem hanc fugant, illique cordis fenestras claudunt, et in tenebris ac cæcitate sua quasi talpæ et vesperationes permerone volunt: quales sunt omnes infideles, carnales, reprobi.

QUI (Christus) DESTRUXIT QUIDEM MORTEM, ILLUMINAVIT AUTEM VITAM ET INCORRUPTIONEM PER EVANGELIUM. — Pro qui destruxit Græce est καταργήσας, id est qui evacuavit, invalidam reddidit, enervavit mortem, omnemque vim, vigorem et impetum, quod in homines habebat, illi ademit. Secundo, illuminavit, hebraismo, in significatione hiphil, idem est quod in lucem produxit, fecit ut illucesceret, ut appareret, sequè ostenderet et exhiberet ipsa vita. Hoc enim est Hebræum אור החיים; opponit enim Apostolus hæc duo, «destruxit Christum mortem, et illuminavit vitam, » q. d. Veniente Christo, mors vigebat et regnabat, sed Christus ejus vigorem et regnum sustulit et destruxit: e contrario vita latebat, quasi in cæcis apud Beatos, in Deo abscondita, aut potius vita ipsa quod homines sublata erat, sodebatque in tenebris et in regione umbre mortis, id est, non jam vita erat, sed mors; sed Christus eam ad lucem et vitam revocavit, iterum eam in terris produxit et in lucem protulit, ac hominibus communicavit; unde Syrus vertit אור חיים חיים, id est vivificavit vitam, q. d. Christus vitam dedit ipsi vitæ, suscitavit a morte et vivere fecit ipsam vitam, vitam produxit et in lucem prodire fecit: per peccatum enim vita in nobis abolita et occisa fuit, mors vero inducta regnavit; sed Christus mortem destruxit et occidit, vitam vero quasi a morte suscitavit, dum homines a morte ad vitam reduxit. Sicut ergo Hebræi sumunt ostendere pro exhibere, dare, facere, producere, ut cap. iv, vers. 14: «Alexander ærarius nulla mala mihi ostendit, » id est fecit et intulit: ita pariter pro isdem sumunt hauri, id est illuminare, sive in lucem producere, præsertim ubi agitur de vita et suscitatione ad vitam: vita enim nostra vulgo dicitur et re ipsa est lux; unde dicimus, frui hæc luce, vel lucis usura, id est vivere. Sicut enim usus et voluptas hujus vite maxime consistit in luce, quod suscitavit lucem solis et colorum videre, eaque uti et frui possumus: ita magis vita beata consistit in lumine gloriæ, quo Beati in mente perfunduntur, ut videant Deum; de quo scriptum est: «In lumine tuo videbimus lumen.» Quod lumen ex mente in corpus Beatorum diffunditur et derivatur: fulgebunt enim justi sicut sol. Hinc de Christo ad limbam descendente, indeque ad vitam patres ibi degentes revocante dicitur Eccl.

Fenestras
hic est
liberum
instar
talpæ.

Christus
vitæ
mundo
restituit
vitam.

Vita
hæc, et
futura
lux est.

cap. xxiv, 43: «Inspiciam omnes dormientes, et illuminabo (id est ad lucem et vitam revocabo) omnes sperantes in Domino.»

Nota: Christus per Evangelium, quod attulit in mundum, quantum est ex parte sua, destruxit re ipsa mortem, et vitam restituit, eamque in lucem protulit: sed quantum est ex parte nostra, re ipsa in nobis id necdum factum est, sed fiet in resurrectione, cum in singulis beatis resurgentibus mors abolebitur et vita æterna efflorescet. Apostolus enim non tam de vita presentis et spirituali, que fit per gratiam, quam de futura et corporali, que fiet per resurrectionem, agit. Ait enim: «Vitam et incorruptionem, » id est vitam incorruptibilem: est enim hendiadys; unde Theophylactus et Græci docent Christum tantum in spe nobis in hac vita mortem destruxisse et vitam communicasse. «Non enim, inquit Theophylactus, re ipsa mors in nobis deleta ac destructa est, sed venturam nostri ex morte liberationem speramus, atque hanc spem Evangelium nobis firmavit, » Ingerit hic Apostolus hanc spem resurrectionis, ut eam quasi novum stimulum admoveat Timotheo, ad collaborandum et compatiendum Evangelio et suis vinculis, uti dixit vers. 8.

41. IN QUO POSITUS SUM EGO PREDICATOR, ET APOSTOLUS, ET MAGISTER GENTIUM. — «In quo, » id est cuius, scilicet Evangelii: est enim hebraismus, quo hebræum ותי, id est in, ponitur pro regimine genitivi. Aliter Primasius: «In quo, » scilicet Christo illuminante, inquit, q. d. Christus illuminavit interiorius mentes gentium, dum ego exterius prædico eis Evangelium. Sed prior sensus planior est et aptior.

Nota: Pro predicator Græce est κηρύξ, id est præco. Sic S. Franciscus rogatus, quis esset? «Sum, inquit, præco magni Dei.» Secundo, pro magister Græce est διδάσκαλος, id est doctor. Tres titulos hic sibi vindicat Paulus: Primus, quod sit præco promulgans legem Dei et Evangelium Christi. Secundus, quod sit Apostolus: id est legatus a Christo ad omnes gentes Christo subigendas et ad fidem salutemque adducendas. Tertius, quod sit doctor, docens, demonstrans et persuadens veram religionem, veranque ad Deum et beatitudinem viam. Rursum tria se hæc accepisse, et ad ea auctoritatem esse a Deo, significat, cum ait, «postulus sum, » scilicet, a Deo. Denique hæc confirmat argumento subdens: «Ob quam causam etiam hæc patior, » q. d. Multi doctores sunt verbo, non vita; disputando, non tolerando: ego vero præco, apostolus et doctor sum, tum docendo, tum pro doctrina mea vincula, carceres omnesque ærunas constanter patiendo. Hinc pulchre S. Hieronymus ad Pammachium de Paulo loquens: «Ubi, inquit, Allie vales electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Genium, lumen eloquentiæ Christianæ?»

Quando
Christus
mortem
in mortis
libris
destruxit?

Spes
resurrex-
tionis.

Pauli
tres titu-
li, Præ-
co, Apo-
stolus,
doctor.

que manifestatio SS. Trinitatis in baptismo Christi multis in locis epiphania appellata est. Cf. Sepp, op. cit. tom. 1, p. 417.

42. OB QUAM CAUSAM ETIAM HEC PATIOR, SED NON VERUS CONFUNDOR, — id est non erubescio, non pudore

suffundor: hoc enim est Græcum ἐπιπορεύω. quia scilicet hæc passio tam Dei auxilium, quam gloriam deusque æternum mihi afferet, inquit Eusebius.

Scio etiam quod me non eripiam, sed in manu Domini committam me.

Notat hic primo Ambrosius, mox ut Paulus et alii Apostoli predicare cœperunt, diabolum dolentem per eos sibi animas eripi, contra eos suscitasse Nerone[m] et similes persecutores; ut quisque sciat idem sibi eventurum, nec miretur si in conversione hominum difficultates magnas sibi obijci sentiat, et pro laboribus suis et beneficiis maledicta et maleficia, quin et verbera, carceres et mortem recipiat.

Secundo, hisce in rebus non debere nos confundi et pudeferi, sed potius gaudere et gloriarī, quia pro Deo et Evangelio pati gloriosum est. Ita Theophylactus. Neque mirum Christianum inter vincula non confundi, sed infropide evangelizare, cum Gentilis quoque Socrates inter vincula philosophatus sit, et veritatem libere docerit, ut docet Plutarchus, lib. De Tranquill. animi; nam, ut ait Nazianzenus, orat. 23 in laudem Hieronimi: « Philosophi animus ex eo quod passus est, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigida aspersione, ita ipse periculis obdurescit. »

Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Vox enim dat causam cur in carceribus alisque passionibus, pro Evangelio infictis non confundatur: quia scilicet passionum harum mercedem depositum apud Deum, a quo utpote in promissis suis fidelissimo certissime illum sperat et expectat.

Notat hic aliqui esse trajectionem: clarior enim sic verba transponendo ordinari sententiam: « Scio et certus sum, quod is cui credidi, potens est depositum meum servare. » Verum hæc trajectio non est necessaria, imo sine ea plus emphaticæ et energie habet oratio per apostophasin interiecta, q. d. Novi enim cui credidi, novi enim non esse hominem infirmum aut fallacem, novi enim esse Deum in omnibus fidelem et potentem, qui non sinit me confundi in carceribus et afflictionibus Evangelii, sed pro his æternam gloriam mihi rependat.

Secundo, et scio Auctor Questionum novi et veteris Testamenti apud S. Augustinum, Quæst. CXIII, sic explicat, quasi Paulus non tantum obscuro fide[m], sed et claram scientiam habuerit articulo[r]um fidei, v. g. quod Deus sit fidelis, potens, justus iudex et honorum remunerator. Hoc de attributis Dæ naturalibus verum est; hæc enim naturali discursu clare cognoscuntur: sed hoc fallit in supernaturalibus, de quibus hic loquitur Apostolus: « puta quod Deus fidelibus pro fide, predicacione et afflictionibus pro Evangelio susceptis, promiserit et presititurus sit æternam mercedem: illud enim non per rationes naturales, sed sola fide scimus. » Scio ergo » idem est hic quod, cognosco, vel certum et exploratum habeo: hoc enim est Græcum εἶδω.

Tertio, et cui credidi significare potest tria. Primo, in quem credidi, cuius dictis fiden. adhibui. Secundo, ut Ambrosius, qui cor meum sum; fides enim subinde pro spe, et credens, sperare et confidere sumitur. Tertio et optime, « cui credidi, » id est cuius fidei commissi, cui concredidi depositum meum: ad hoc enim, ut respicit, ut patet ex seq.; sic depositor dicitur credere depositario depositum suum, cum illud apud eum deponit, illiusque fidei credit et committit.

Quarto, et potens est non tantum significat Deum posse servare, sed etiam actu et re ipse servaturum hoc Pauli depositum: est enim iniosis, de qua dixi II Cor. IX, S. Mavult Apostolus dicere, « potens est servare, » quam, « actu servabit, » ut nomine potentie divine in remuneratione bonorum operum et passionum, excitet hominum infirmitatem ad constantem spem et patientiam rerum arduarum et difficilium.

DEPOSITUM MEUM.— Quæres, quodnam hoc? Respondet primo, Ambrosius esse salutem Pauli, quam ipse Deo servandam commisit: imo D. Thomas, I II, Quæst. CII, art. 9, intelligit donum perseverantie actualis, quasi de ea revelationem acceperit Paulus, sciveritque certo se in gratia usque ad mortem perseveraturum et consequenter salvandum: hoc enim videtur dicere, cum ait: « Scio cui credidi et certus sum. »

Secundo, Theodoretus respondet, « depositum » hoc esse gratiam, quam Deus Paulo dedit, et quasi apud eum depositum.

Tertio, Chrysostomus et Theophylactus volunt « depositum » hoc esse fidem et predicacionem, quam Deus Paulo commisit.

Quarto, idem Chrysostomus et Theophylactus consent « depositum » hoc esse fideles, quos Deus Paulo et vicissim Paulus Dei curæ commisit. Verum hæc omnia non tam Pauli apud Deum, quam Dei apud Paulum deposita sunt, ut ipse illa custodiat; de quibus dixi epist. I, cap. vi, vers. 20, et infra hoc cap. vers. 14, ubi mandat Timotheo, ut hoc Dei depositum illi a se traditum arcte custodiât et conservet. Paulus autem hoc vult loquitur non de Dei, sed de suo deposito: ait enim « depositum meum; » licet enim Chrysostomus et Theodoretus etiam passive capiant, q. d. Depositum quod apud me depositum Deus, tamen magis proprie et apposite, active accipiendum videtur: meum, scilicet quod ego apud Deum deponi: unde illud non a se, sed a Deo servari et custodiri asseverat.

Quinto ergo et optime, Theophylactus et Anselmus respondent, « depositum » hoc Pauli esse ejusdem apostolatus et predicacionis Evangelii, puta thesaurum laborum et passionum, pro Evangelio a se obitarum, quem a se collatum Paulus patiens et moriens apud Deum quasi deponit; ut in illo die magno, iudicij scilicet, librum, A est illius mercedem et gloriam recipiat, ac coram toto mundo declaratur falso hic fuisse traductus, in-

Depositi-
tum qui
est? Ter-
tia Pa-
trian-
senten-
tia. Prima.

Secunda.

Quarta.

Quinta, de-
positum
Pauli,
est eju-
s aposto-
lus, et
predica-
tio Evan-
gell.

carceribus, verberibus et contumellis affectus, tanquam impostor, deorum hostis et pseudoapostolus, publice proclametur verus fuisse veri Dei et Evangelij Apostolus et doctor.

Unde quod Apostolus hic depositum, Christus Math. XIX, 21, thesaurum vocat, cum ait: « Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et habebis thesaurum in celo: » thesaurum, id est depositum abscondite reconditum; hoc enim significatam Hebræum *matron*, quam Græcum et Latinum thesaurum. Idem depositum Apostolus, II Timoth. cap. IV, vers. 8, vocat *repositam justitiæ coronam*: « Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex. »

13. FORMAM HABE SANORUM VERBORUM, QUÆ A ME AUDISTI IN FIDE ET IN DILECTIONE IN CHRISTO JESU.

Pro forma græce est *ἰσχυρισμός*, id est vivum exemplar, vivam imaginem, vivam representationem: *ἰσχυρισμός* enim significat rem ita delineatam, depingere, efformare, ut plene et plane representetur. Inde apud Rhetores Hypotyposis figura est, quæ evidentia et illustrata dicitur, quando res ita dicendo exprimitur, ut videatur delineari et depingi; vel, ut inquit Quintilianus, lib. IX Institut.: « Hypotyposis est proposita quedam rerum forma, ita expressa verbis, ut cerni potius videatur quam audiri (1). »

Secundo, « habere, » id est habere perge, sive retine; significat enim actum non inchoatum, sed continuatum, juxta *1 Corin. 32. Sic I Corinth. VII, 2*: « Unusquisque, inquit, uxorem suam habeat, » id est eam quam habet, retineat, illaque utatur. Tertio, « sana verba » vocat sanam doctrinam, « in fide et dilectione, » id est circa fidem et dilectionem, « quæ est in Christo Jesu, » id est, quæ est Christi et eorum qui in Christo inhererent, puta est Christiana. Vide *1 Cor. 25 et 37. E contrario hæresis et error est doctrina male sana, morbida, putida, corrupta et contagiosa, serpens ut cancer. Sic Plato, lib. IV De Republ.: « Virtus, inquit, est sanitas quedam, et pulchritudo, et robustus animi vigor: pravitas contra morbus est, turpilitudo atque imbecillitas, » q. d. O Timothee, tum, utpote Episcopi, munus est retinere vivum exemplar, vivam ideam et representationem doctrinæ, quam tibi tradidit, ut scilicet verba mea semper tibi ob oculos ponas, eandemque vive et efficaciter aliis proponas. Unde Syrus vertit, *forma tibi sibi sancti sermones, quos audisti a me.**

Notat Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus esse metaphoram a pictoribus. Sic enim explicat Theodoretus: « Imitare, o Timothee, pictores: quemadmodum enim illi attendentes exemplaria perfecte illorum imagines describunt, ita etiam in habere veluti quoddam exemplar archetypum, eam quæ a me tibi tradita est doctrinæ de fide et Christo, » ut scilicet hoc exemplar in te tuisque moribus depingas, vitæque ipsa exemplaris, ac vicissim tuis Ephesibus proponas, ut illi juxta idipsum in scriptis fidem et charitatem, omnemque virtutem Christianam exprimant et depingant.

(1) Rosenmüllerus *ἰσχυρισμός* vertit *summan*, Gall. *conscience*.

Etiam enim hæc doctrina probatur.

Hinc secundo, notat Chrysostomus non solum Scripturam sacram, sed et traditiones Apostolorum et Patrum servandas esse. Ait enim Apostolus: « Formam habere sanorum verborum (non quæ scripta sunt), sed quæ audisti a me, » quæ scilicet viva voce tibi tradidit. Nec evadit Hunnius dicendo, illo tempore servandas fuisse traditiones, quia nequid omnes epistole erant conscriptæ: jam autem traditiones non requiri, cum omnia sint conscripta; nam tam prius quam posterius hoc falsum est. Hæc enim ultima est epistola quam scripsit Paulus: cæteras enim omnes ante hanc scripsit, et tamen post eam vult servari traditiones; non ergo omnia per scripturam, sed multa verbo tenus tradidit, eademque servari præcepit. Si Paulus, qui plurimas scripsit epistolas, ita fecit, ergo et alii Apostoli, qui vel paucas, vel nullas scripserunt epistolas, ita fecerunt. Sicut ergo jussa regis quæ per preceonem viva voce proclamantur, et quæ servanda sunt, atque regis rescripta; imo Lycurgus, celeberrimus legislator, suis nullas leges scriptas, sed tantum vocales, quæ non tabulis, sed praxi sancirentur, dedit, ut testatur Plutarchus in *Lycurgo*: ita pariter et jussa Apostolorum viva voce tradita et quæ scripta eorumdem observanda sunt. Quis enim non videt simpliciter et absolute faciendum esse, id quod jubet hic Apostolus cum ait: « Formam habere sanorum verborum quæ audisti a me, » sive eadem postea scribantur, sive non? Ita ritum et formas Sacramentorum, nullaque alia ab Apostolis non scripto, sed viva voce esse tradita docet S. Dionysius, *Ecclesiast. Hierarchy*, cap. I et VII; S. Augustinus, *epist. 36 ad Casulanum*; Basilium, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXVII, et alii passim. Vide dicta II *Thessal. II, 13*.

14. BONUM DEPOSITUM CUSTODI, PER SPIRITUM SANCTUM, QUI HABITAT IN NOBIS.— Per depositum, Theodoretus et Theophylactus intelligunt gratiam in baptismo, vel ordinatione acceptam. Melius S. Chrysostomus, Ambrosius et alii depositum hoc interpretantur thesaurum doctrine Christianæ, quam vers. præced. vocavit *sana verba*: hunc enim thesaurum quasi depositum studioso commendat Timotheo Episcopo, ut eum contra Novantes et profanas vocum novitates, integrum inviolatumque conservet, ut patet *epist. I, cap. VI, vers. 20*; nam Episcopus hujus thesauri et depositi debet esse custos, ut docet S. Dionysius toto lib. *De Ecclesiast. Hierarchy*.

Nota, quod ait, « depositum custodi per Spiritum Sanctum, » q. d. Hæc custodiri non tuarum est virium, sed Spiritus Sancti est idipsum efficere, ut ejus gratia roboratus contra omnes dis-

Etiam enim hæc doctrina probatur.

Quæ et traditio teni dicitur Ecclesiæ.

Forma depositum, dicitur trias Christianæ.

Non tantum tentationes, haereticorum furiosos, persecutorum minas et tormenta, depositum sane doctrinae tuarum et custodias. Hinc patet non tantum primam fidem et fidei professionem, ut quis nimirum credere et fidem profiteri incipiat, esse donum Dei; sed etiam fidem et professionem hujus custodiam, ut nimirum quis credere et fidem profiteri pergat, id ipsum habere per Spiritum Sanctum, non quidem nove datum, sed permanentem et in animabus fidelium inhabitantem per habitum fidei et charitatis. Sicut enim Deus creat, itidemque creata conservat non nova actione continue creando, sed actionem primam creationis continuando : ita etiam dat et quasi creat gratiam, itidemque datam et creatam conservat, non nova actione cam dando, sed continuando primam gratiae donationem et infusionem. « Fervet, inquit Chrysostomus, cuncta latronibus, densissime imminet tenebrae, insidiatur diabolus, nescimus qua hora, quo imminet tempore : quomodo ergo hoc depositum custodire sufficimus, nisi habeamus Spiritum Sanctum apud nos manentem ? »

Adverte tamen, si gravis ingruat tentatio, persecutio et martyrium, ad fidem et professionem fidei retinendam, non sufficere habitum fidei; sed insuper opus esse nova gratia preveniente, quae mentem confirmet et corroboret.

Vers. 15. 15. SCIS HOC, QUOD AVERSI SUNT (græce est ἀποστρέψαντες, id est aversati sunt me, me rejecerunt) A ME OMNES QUI IN ASIA SUNT : EX QUIBUS EST PHIGELLUS ET HERMOGENES. — Certum est non omnes Asianos aversos fuisse a Paulo et a fide : plurimi enim fideles erant Ephesi et alibi, qui Paulum studiose colebant, quorum fidem et amorem laudat Paulus scribens ad Ephesios et alios Asianos, quod ergo dicit « omnes qui in Asia » a se esse aversos, nonnulli, ut Baronius, limitant omnes ad Judæos. Judæi enim Asiani infensi fuerunt Paulo eumque insecti sunt Hierosolymam usque, adeo ut causa fuerint cur ibi caperetur Paulus, ut patet Actor. xxv, 49; et verisimile est eosdem Romæ Paulum persequi et accusare perrexisse. Verum, quia Judæorum hic nulla fit mentio, et generatim de omnibus Asianis loquitur Apostolus, hinc melius Chrysostomus cum suis censet Paulum loqui de omnibus Asianis qui Romæ erant, ut omnes qui in Asia, idem sit quod omnes ex Asia (juxta Can. 23), omnes Asiani, scilicet Romæ agentes; scribit enim Paulus ad Timotheum Romæ, ea quæ gerebantur Romæ, non autem quæ in Asia; hæc enim præsens spectabat Timotheus. Idem colligi potest ex vers. 16 seq., ubi ab his Asianis excipit unum Onesiphorum, qui Paulum secutus Romam, ibidem ei studiose adhesit et servivit. Ergo de Asianis solis qui Romæ erant, loquitur Apostolus : hi enim cum antea Paulum frequentasset et coluissent, postea partim instinctu Judæorum de quibus jam dixi, partim metu Neronis savientis in Paulum, ut opinatur

An omnes Asiani infensi fuerint aversi a Paulo?

Asiani qui Romæ erant infensi Paulo.

Theodoretus, Paulum aversati sunt. Ex hisce præcipui fuerunt Phigellus et Hermogenes, « qui, ut inquit Ambrosius, fallacia pleni erant : simulabant enim amicitias cum Apostolo, ut adherentes ei addiscerent unde illi culminium facerent, aut per alios immitterent; » qui postquam se viderunt detectos et manifestatos, recesserunt ab eo. Tertullianus, lib. De Resurrectione, carn., xxiv, hunc Hermogenem recenset inter hæreticos negantes carnis resurrectionem. Vide quid faciat et quo deducat hominem, fugere et aversari consortia bonorum ac sanctorum, qualis erat Paulus.

Affert hæc hoc loco Paulus, ut moneat Timotheum, caute depositum hoc doctrinae custodire, inter tot fidei desertores et hostes, utque eos internoscat, et ad sanam mentem cum in Asiam redierint, reducat, si possit; aut certe alios moneat, ut ab eis sibi caveant; ac tandem, ut Timotheus, si quando fidei causa incareeretur et a suis deseratur, Pauli exemplo constanter illi ferat, inquit Chrysostomus.

16. DET MISERICORDIAM DOMINUS ONESIPHORI DOMINI : QUIA SEPE ME REFRIGERAVIT, ET CATENAM MEAM NON ERIBUIT. 17. SED CUM ROMAN VENISSET, SOLICITE ME QUÆSIVIT, ET INVENIT. — Excipit ab Asianis a se aversis Onesiphorum, cujus charitatem erga se hic collaudat, eumque hoc nomine tacite commendat Timotheo, ideoque non tantum illi, sed et toti ejus domui, id est familie, parem misericordiam a Deo exhiberi postulat.

Tria hic charitatis officia in Onesiphoro predicat. Primum, quod peregrinum Romanum veniens se in vinculis ab omnibus desertum et inter maleficos constitutum, per medios custodes et satellites penetrans sollicitè quæssit et visitavit. Secundum, quod non tantum contumeliis, sed et ira Neronis ac periculis gravibus Pauli causa se objecerit. Tertium, quod tot laboribus et ærumnis fatigatum « refrigerarit, » id est suis opibus et rebus ad vitam necessariis, vel opportunis recrearit et refocillavit. Hoc enim Paulo isto tempore pericundum accidit : perinde uti pugili aut militi in agone certanti, sudanti et laboribus exhausto suave ac gratum est, cibo potaque refici et recreari. Hoc enim innuit vox « refrigerarit, » inquit Cœcumenius.

18. DET ILLI DOMINUS INVENIRE MISERICORDIAM A DOMINO IN ILLA DIE. — « Det, » id est misericordiae ejus et meritis retribuatur, ut in die judicii inveniat « a Domino misericordiam, » id est gratiam, favorem et benevolentiam, ut scilicet judicem habeat sibi propitium et faventem. Secundo, « det invenire misericordiam, » id est misericordiae suae effectum, fructum et dignam retributionem, ut cum aliis Sanctis benignam hanc excipiat Judicis sententiam : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, etc.; esurivi enim et dedistis mihi manducare; in carcere eram, et venistis ad me, » Math. xxv, 34; alioqui in illo die, scilicet judicii, nullus misericordiae erit locus, sed tantum justitiae.

Tria charitatis officia Onesiphori erga Paulum.

Ita Theophylactus. Unde in vocibus εἶπε et ἐπίπε, id est « invenit et invenire, » pulchra est paronomasia, g. d. Querens me miserum invenit et adjuvit in vinculis Onesiphorus, invenit ergo et ipse in die judicii misericordiam a Domino. Ita Ambrosius.

Nota : Quod ait, « Det illi Dominus invenire a Domino, » non significat duos esse Dominos sive Deos, uti voluit Marcion, teste Augustino hæresi 21; sed est hebraismus significans, Det illi Dominus invenire misericordiam apud se. Hebraei enim sæpe nomen vel pronomen absolutum sumunt pro reciproco, ut Genes. xix, 24 : « Pluit Dominus super Sodomam sulphur a Domino, » id est a seipso; Isaia viii, 18 : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum Israel a Domino, » id est a seipso.

Posses secundo, sic exponi : « Det illi Dominus, scilicet Deus Pater, invenire misericordiam apud Dominum, » scilicet Filium, puta Christum hominem; Christus enim qua homo, judex erit in die judicii. Ita Vatablus. Hac enim phrasi, « Dominus a Domino, » simul innuitur distinctio personarum in divinis, ut, « Pluit Dominus a Domino, »

id est pluit Filius a Patre. Ita Concilium Sirmianense, can. 13. « Det ergo illi Dominus a Domino, » id est det illi Pater apud Filium invocare misericordiam (1).

ET QUANTA EPHESI MINISTRAVIT MIHI, TU MELIUS NOSTI. — Tis mihi non habent Græca? nec Latina Regia et Plantiniana Biblia, nec Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus. Unde Ambrosius docet Onesiphorum non solum Paulo, sed omnibus ob fidem afflictis liberaliter ministrasse : quasi hoc ipso Apostolus suggillet quosdam, qui non omnibus, sed certis personis, quia eminentes, cognatæ aut alia de causa caræ et gratæ sunt, ministrare volunt. Biblia tamen Romana et Syrus legunt : « mihi, » planctque illud legendum vel subaudiendum videtur : ait enim ministravit, cui? utique mihi, ut precessit; agit enim Apostolus de charitate et officiis sibi ab Onesiphoro exhibitum Romæ, tum Ephesi.

(1) Onesiphorus mortuus videtur fuisse quam Paulus hæc scriberet; nam et infra vt, 49, ejus familiam salutatur, non autem Onesiphorum. Itaque docet nos hic Apostolus, ut bene animadvertit Allouhi, vota precesque offerre pro iis qui in Domino dormiunt.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit hortari Timotheum, ut, relictis negotiis secularibus, prædicationi et propagationi Evangelii totus incumbat, quasi miles, pugil et agricola Christi.

Secundo, vers. 8, spe resurrectionis et gloria celestis eundem excitat, ut pro Evangelio quævis adversa, etiam martyrium, subeat.

Tertio, vers. 14, hortatur ut recte tractet verbum veritatis, profanas vero novitates, et hæreticos negantes resurrectionem vitet.

Quarto, vers. 19, monet ne turbetur si aliqui a fide excident, quia reliqui in fide firmiter persistent, qui signati sunt per præsentiam Dei, et per fugam peccati.

Quinto, a vers. 22 usque ad finem, monet ut juveniles philantias et contentiones vitet, leniterque errantes corripiat et instruat.

1. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu : 2. et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. 3. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus : ut ei placeat, cui se probavit. 5. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. 6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. 7. Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. 8. Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, sedundum Evangelium meum, 9. in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans : sed verbum Dei non est alligatum. 10. Ideo omnia sustineo electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria celestis. 11. Fidelis sermo : Nam si commortui sumus, et convivimus : 12. si sustinebimus, et conregnabimus : si negaverimus, et ille negabit nos. 13. Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. 14. Hæc com-

mone, testificans coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subvertendam audientium. 15. Sollicite cura teipsam probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 16. Profana autem, et vaniloquia devota: mitior enim proficiunt ad impietatem. 17. Et sermo eorum ut canes serpit: ex quibus est Tymenæus et Philetus, 18. qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorundam fidem. 19. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. 20. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. 21. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum. 22. Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, charitatem et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. 23. Stultas autem, et sine disciplina quæstiones devota: sciens quia generant lites. 24. Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, 25. cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; nequando Deus det illis penitentiam ad cognoscendam veritatem, 26. et respiciant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

4. TU ERGO, FILII MI, CONFORTARE (Ambrosius legit, fortitudinem cape) IN GRATIA, QUÆ EST IN CHRISTO JESU, — id est, in gratia Christi annuntianda et prædicanda, inquit Ambrosius et Vatablus, ut scilicet annunties Deum non per Mosen, aut Simonem Magum, sed per Christum nos sibi reconciliasse. Favent sequentia; sequitur enim: « Et que audivisti a me, hæc commenda fidelibus. » Ubi Græca punctum distinguens ponit ante hæc commenda, ut « que audivisti referatur ad præcedentia, q. d. Conforta te in his que audivisti, prædicandis et docendis.

Secundo et planius, Theodoretus et Chrysostomus hæc nequunt dictis cap. præced., q. d. Dixi cap. præced. me in vinculis pro Evangelio susceptis non confundi, non deijci, non barbari, licet Asiani olim amici me deserant. Tu ergo, o fili Timothee, me patrem tuum imitare, cape animos et robur « in gratia, » id est per gratiam Christi, quam habes tecum pugnantem, imo pugnantem, ut fortiter persistas in Evangelio, non tantum fide, sed et prædicatione ac propagatione, etiam ejus causa et vincula et tormenta et mortem ipsam subire debeas.

2. ET QUÆ AUDISTI A ME PER MULTOS TESTES, HÆC COMMENDA FIDELIBUS HOMINIBUS, QUI IDONEI ERUNT ET ALIOS DOCERE. — Ita hæc distinguunt et jungunt Latini codices, Syrus et Chrysostomus, « Multos testes » vocat, vel testimonia ex lege et Prophetis prolata, ad confirmandam suam doctrinam, de Christo et Evangelio, ut explicat Clemens lib. III Hypotyposion; vel potius multos suos prædicationis auditores. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius.

Secundo, « que audivisti per multos testes; per, id est, inter multos, cum multis, coram multis, qui de his que dixi testari possunt, q. d. Non

furim, sed palam et publice docui. Falsitas enim angulos, veritas lucem querit; hæc enim hereticorum vox est, inquit Vincentius Lirinensis: « Venite, discite fidem veram nuper revelatam, sed discite furim atque secretem; delectat enim vos. Et cum didiceritis, latenter docete, ne quid audiat, neque Ecclesia sciat. Pauci namque concessum est tanti mysterii capere secreta. » Sic enim Græci sumunt δὲ, id est per, pro ἡρώδῃ, vel ἡρώδη, id est heretico, vel cum, ut I Cor. II, 4: « Scripsi vobis per multas lacrymas, » id est, cum multis lacrymis, et II Cor. III, 11: « Si enim quod evacuatur, per gloriam est, » id est cum gloria, in gloria est: sic enim in consequentibus explicat Apostolus, cum subdit: « Multo magis quod manet, in gloria est. »

Tertio, nota hic rursum locum pro traditionibus; aut enim, non, QUÆ scripta sunt, sed, « QUÆ audivisti, hæc commenda. »

Quarto, vult hæc commendari non quibusvis hominibus, sed qui idonei sunt ut alios doceant, quique fideles sunt, non qui fide, sed qui fidelitate polleant: hisce enim res magis, qualis est doctrina, de qua hic agit, creduntur et committuntur, non autem timidis et inconstantibus, qui facile fidem Ethnicis, vel malis peccatoribus, vel spe præmiorum produnt. Unde patet Apostolum non loqui de plebe et laicis, sed jubere ut Timotheus Episcopus alios presbyteros et doctores instituat plene et solide, ut illi doctrinam hanc sanam quasi depositam firmiter teneant et post se custodiant ac tueantur, aliosque doceant et confirmant. Ita Ambrosius, Theophylactus, Oecumenius.

Secundo, « que audivisti a me et sublimiora fidei mysteria, credi debere, docet S. Dionysius, cap. I lib. De Divinis Nomin., quem hinc eidem Timotheo

Vafa
vos ha-
retico-
rum.

Traditio-
nem non
tortia.

Quibus
arcanis
fidei
deus reor

dedicat: « Sancta, inquit, sanctis communicanda sunt. » Et convertens se ad Timotheum ait: « O Timothee, » e quidem ista servare convenit juxta sacratissimam sanctionem, neque inter imperitos offerre eloquia. »

3. LABORARE SICUT BOVUS (id est egregius) MILES CAUSÆ JESU. — Pro labora græce est κτίζειν, id est mala perferre, dura tolerare. Adhuc Timotheum incitat exemplo tum militum, tum Christi: militis enim est multa acerbata pati, et Christus nos in militiam, ad suum crucis vexillum evocavit, suaque cruce signavit et auctoravit milites suos: fortia ergo agere Romanum est, ut aiebat

Pati Scævola; sed fortia pati Christianum est. Pulchre Tertullianus, Apologeticus cap. I. Contra Gentes: « Licet nunc sarmentillos, inquit, et semaxios appelles, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur; hic est habitus victorie nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Apud vos quoque, o Gentes, Multus Scævola dextram suam libens in ara relinquit. O sublimitas animi! Empedocles totum se Catanensium Ethnicis incendiis donavit. O virgo mentis! Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruce paditur. O fortem virum, et in captivitate victorem! Anaxarchus cum in exitum pisanæ pilo contunderetur: Tunde, tunde, ait, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non fundis. Attica meretrix, carnifici jam fatigato, postremo linguam suam comestam in tyranni sevientis faciem expuit, ut expueret et vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Eleates consultus a Dionysio quidnam philosophia prestaret, cum respondisset: Contemptum mortis, impassibilis, flagellis tyranni objectus, sententiam suam ad mortem usque signabat. » Si hæc fecere Gentiles, quid facient Christiani et milites Christi?

4. NEMO MILITANS DEO IMPLICAT SE NEGOTIIS SECULARIBUS: UT EI PLACEAT, CUI SE PROBAVIT. — Vox Deo non est in Græco, nec in Latinis quibusdam. Unde Chrysostomus accipit hanc sententiam tanquam generalem, ad quosvis milites pertinentem, ex qua facile subsumat Apostolus, eandem multo magis ad Christi milites pertinere: quod noster Interpres expressit dicens, « nemo militans Deo. »

Nota: « Negotia secularia, » græce τὰ βίβια πράγματα, id est vitæ (hic enim non vicium, ut veritè Erasmus, sed vitam significat) occupationes et negotiationes, quibus victum, vestitum et reliqua ad vitam tuendam opportuna comparantur et conquiruntur; quales sunt mercatura, agricultura, artes mechanicæ, q. d. Miles non curat mercaturam, non officium, non negotia ad domus, uris, aut regni regimen spectantia, imo nec multum de victu aut vestitu laborat, quia de his militi suo providet imperator: sed unum intendit bello et victorie sui imperatoris. Unde et

Militibus olim vestitum fuisse conjugium docet

Cornelius Tacitus, lib. XIV, et Dionysius, lib. LX: olim, in tertio, inu cruce pagana. quæ et Tertullianus, in Exhortatione ad castitatem, docet suo tempore milites fuisse castiores. Multo ergo magis hæc et plura facere oportet militem Christi. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius. Vide S. Basilium in Aseticis, serm. I. Audi eum in præfatione: « Si quis ait, militi ministraverit, me sequatur; et ubi ego sum, illi sit et minister meus. Ubi ergo Christus est rex in celo sine dubio. Hæc tuis tibi, o miles Christi, dirigendus est cursus. Obliviscere quidquid hic in terris refectionis haberi potest. Miles non domos edificat, non comparat agros, non vacat mercatura. In plateis tabernaculum sibi ponit; cibum sola necessitate metitur; potio, aqua; somni tantum, quantum natura requirit. Itera frequentia, itemque vigilia; acris ad frigora caloresque tolerandos patientia; periculosorum cum adversariis certaminum crebra susceptio, et in his sepe (si ita sors ferat) mors, gloriosa tamen, et quæ regis honoribus et muneribus decoratur. » Deinde accipit militi Christi: « Age igitur, miles Christi, qui jam tenuia quedam ex rebus humanis exempla inspexeris, habeat animum tuum sempiternorum honorum copulatio: propositum tibi vite genus sit, domo, civitate ac possessione rerum omnium carens. Solutus esto, atque ab omnibus vite curis liber, etc. Corporis te natura non vincit, neque vim affert invito. Non enim tu id quaeris, ut solem in terra reliquas, sed ut in celum sursum educas. Imitare sponsum ecclestæ; insurgentes adversum te crebro invisibiles hostes in fugam dato; eos primum ex animo expelle tuo, neque omnino illis quidquam sit apud te loci, tum ex animo illorum etiam, qui ad te confugiunt, te quem duem adsciscunt, quos tu doctrina tua incolumes serves. »

Secundo, id facit miles, « ut placeat ei, cui se probavit, » imperatori scilicet, delectum militum agenti (hoc enim significat Græcum τὸ ἐπιτολῆταιν), a quo in militiam ascriptus, approbatus et cooptatus est. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus; minus ergo recto Anselmus, « cui se probavit, » id est, inquit, cui se devotit.

Nota tertio: Apostolus non loquitur hic omnibus Christianis et secularibus: hi enim necessario, et ex officio tractare debent negotia secularia; sed Timotheo Episcopo, et consequenter omnibus Episcopis, eorumque associis, puta Pastoribus, sacerdotibus, clericis: hi enim toti mundum et Christianos, tamquam ministeris, ac verbo Dei insistere debent, ideoque abstinent a negotiis secularibus. Ita Chrysostomus, Ambrosius et alii. Horum typus fuerant sancti veteris Testamenti, qui in divisione terre sanctæ nullam ejus partem æque ut alia tribus acceperunt, ne terrenis et secularibus negotiis implicarent; sed ut toti vacare possent Deo et templo, ideo portio eorum hereditaria erat Dominus, id

Quibus
debent
fugere
negotia
secularia?